

05

A


2442











THEMATA  
DE  
COELO

qua

D. C. M. A.

*in inclyta VVittebergensi Aca-*  
*demia*

PRÆSIDE

M. BALTHASARO MEISNERO

Dresdens. Facult. Phil. adiunct.

*ad publicam disputationem proponit*

BALTHASAR HENCKELIVS

Jutrebodensis Saxo.

*29. Octobr: in auditorio minore, horis matutinis.*



WITEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri

Anno 1608.





MAGNIFICO

*Virtute & profopia nobilissimo Viro*

DN.

GEORGIO AB

EICHSTEDT Hæreditario

IN

*Rlempenow & Hohenholtz Macenati  
suo magno,*

Has studiorum primitias in gratæ mentis  
*συμφορον* submissè con-  
secrat

*Balthasar Henckelius Iutrobocensis  
Sax. Autor & Respons  
dens.*



05 A 2442



# PROOEMIUM.



Omnis universa sapientia in hoc uno est, ut Deus cognoscat & colat, *Lactant: lib. 3. Instit. cap. 30.* Sapientia præcedit, Religio sequitur: quia prius est Deum scire, consequens colere: *Id: l. 4. c. 4.* A sensu ergo qualemcūque veniendum ad cultum ijs, qui Sancti Spiritus non illustrantur radiis. Omnino Dei opera noscenda, si vis ipsum: ut solem deficientem non directò sed in aquis intuemur; sic in operibus, *Lips. in not. ad l. 1. Polit. c. 2.* Si namq; Protogenes vel ex unius lineæ ductu cognovit Apellis artificium *Plin. l. 35. c. 10.* multò certius ex pulcherrimis cæli luminibus Summi maiestatem cognoscere poterimus: *Vinsbom. in præfat. spher. τὸ δὲ κακῶς ἢ περιέγως ἢ τὸ μὴ περιθεῖν. Τῆς ψυχῆς νόστος ἄξι:* *Basil.* Quid autem quæramus? cæli aut sideris unius naturam plenè nondum cepimus & volumus cæli siderumq; auctorem? *Lips. ibid.* Fateamur cum divino subtilitatum Magistro, scientiam nostram esse umbram in sole; *Exerc. 307. sect. 12.* Ne tamen per ignaviam ætatem agentes, illam penitus evanescere sinamus, agite, in manus venite nostras, nobilissimæ mundi huius adspectabilis partes, Cæli, qui efficitis, ut Infiniti divinitatem atq; omnipotentiam clarius paulò cognoscamus. *Rom. 1.*

## QVÆSTIO I.

An detur in Cælo materia?

Prius nominis usum oportet cognoscere, à quo sæpenumero provehimur in rei perceptionem. *Plat. in Cratyl.* Ab ovo si res repetenda, prima Cæli nomenclatura fuit eiusmodi, qua illud ex aqua & igni compositum significaretur, *Scal. Ex. 61. l. 1.* quæ non Hebræis tantum, sed etiam sanctis Patribus probatam videmus, *Vesthem. in phras. div. scriptur.* Quod vero Cælum habitaculum, *Esa. 64.* lucemq; Dei inaccessibleem: *1. Tim. 6.* significat; est hic sapere ὑπὲς τὴν φρονεῖσιν, versaturq; in media Theologia. Philosophus trifariâ accipi docet; pro sphaera ultima; pro cōplexu totius cæli; pro fabrica universi, *1. de cæl. t. 96.* posterius significatū à questione seiungimus. Multis vèro movere posset admirationē, quando sic quærare instituerimus: siquidē corpus facere sine materia sit facere in somniū sine somno, *Ex. 359. l. 11.* Nequaquam tamen mirabitur, qui longinquam Cæli constitutionem à rebus nostratibus paulò alius secū reputaverit. Potissimum ideo ma-

teria



teria fuit in illo negata, quoniam hanc contradictionis putarunt potentiam, divisionis quoque causam; Fons. in 1. Met. c. 5. illud sempiternum. Opinioni huius princeps fuit Averroes, quando scripsit coeleste corpus esse medium quid inter puram potentiam, & purum actum; videlicet formam quandam per se coherentem absque materia, praeditam quantitati dimensionibus, lucis aliorumque quorundam accidentium participem, lib. 1. de Cael. tex. 7. & in lib. de substant. Orb. cap. 2. Quem ad unguem sequi putat operae pretium Zabarella, vir alioquin omnium iudicio maximus: inter alia sic inquit: in caelo neque materia perfecta a forma, de nat. cael. c. 11. Cuius operosissima ambitus sententiae super hoc versetur puncto; esse aliquid in natura per se subsistens, quod neque sit Deus; neque potentia; neque informans, neque informatum; neque corpus, neque non corpus: Ex. 61. sect. 5. Quod toto caelo a natura caeli remotissimum signum ulteriore oratione impugnare, locum esset ab alijs lapidem (ut verbi gratia utamur Scal.) nova elotione dissolvere, Ex. 52. Praestat affirmativam quasi dare expeditam. Motus, quoniam totius naturalis comprehensionis fundamentum & circumscriptio, Ex. 257. propria mobilis entis est affectio: nihil autem mobile nisi quod materiatum: 2. Phys. c. 2. & 8. Phys. c. 1. t. 6. quia in omni re quae movetur, necessario intelligenda est materia: Met. c. 1. t. 12. at non moveri caelum ου δουραμενδ κρινευεσι τδ δι αυτδ & μη δει αυτδ γινωσιμω. 2. Phys. c. 1. t. 6. Ulterius sic arguimus. Omne quod est, aut est primum principium, aut a primo principio. Ex. 301. s. 19. illud infinitum Deus; quia solus est esse & essentia & entitas; Ex. 65. s. 2. a nullo dependet, nihil praesupponit, nihil requirit. Chin. lib. 12. Metaph. c. 2. hoc finitum; quia nihil medium inter creatorem & rem creatam, ex. 304. s. 8. Quod finitum est, habet aliquid quod est in actu, & aliquid, quod est in potentia. Ex. 6. s. 2. caelum quoniam a se non est, finitum est. Corroboraturque argumentum ex Zabarella; sed in hoc loco existens habet potentiam existendi in alio; de nat. cael. cap. 6. Caelique benignitatem minus experiatur, qui revolutionem crastinam in actu dixerit: at potentia materiae essentialis est; Perer. lib. 5. cap. 10. Praeterea posito effectu causam vel esse, vel fuisse, consequarium est: species in caelo generat speciem in oculo. Zabar. de visu cap. 8. lib. 2. quod si generans & generatum eiusdem sunt generis: Ex. 101. s. 18. sequitur ultro, quod volumus: cui dum adiungimus, omne individuum sensibile & per se existens, ex materia & forma constare, 1. d. cael. tex. 92. strenue sub veritatis vexillo militamus. Quantitas etiam, raras, densitas, an non apparitores materiae sunt? Ex. 61. s. 5. sane, ubi quantitas est, materia subiecta est: raritas & densitas qualitates sunt, in situ aut a situ partium, ex. 101. s. 19. nil situm habet, nisi & figuram habeat; quod hanc, etiam materiam: quis vero nescit  
fidus



*Ætus cœlum esse suum densum; & cœlum sidus suum rarum? s. 1. Ex. 61. Quā-  
 tum necessarium est, siquidem continuum; quamvis continuitas illa nostrat em hanc  
 nobilitate longè vincat: hinc enim per aquam partes apte sunt, atque continua, ibi  
 aqua nihil. Neque vero hoc probandi genus omnino rejiciendum est: quippe re-  
 rum obscurarum cognitio ex accidentibus etiam comparatur, Ar. 1. de anim. c.  
 1. r. 11. Quod si tantoperè sibi placent in monstro hoc fovendo, felicem quintam Pe-  
 ripatheticorum substantiam, æquè cum sanctis futuri gaudij participem. Co-  
 nimb. in loco cit. Sequitur hoc; quia, si non materia, E. actus immaterialis  
 E. præstantissimas edit operationes; cum sine ulla controversia receptum sit, ope-  
 rationem sequi esse & formam: quæ eo magis excellit in effectis, quo minus mate-  
 riæ pondere premitur. Piaculum profectò, Cœli nobilitatem nostræ præponens  
 naturæ; cujus tanta dignitas, ut unaquæque habeat ab ortu in custodiam sui de-  
 legatum Angelum, Hieron. in Matth. c. 18. imò, propter quam Deus homo fa-  
 ctus est, Ex. 250. s. 1. Animus equidem noster conjunctione, ut Scal. ait. fit mate-  
 rialis, Ex. 6. s. 2. idè alibi corpus, subjectum divinæ substantiæ, Ex. 61. s. 1. Docto-  
 remve, ministrum Dei materiale appellat, Ex. 307. s. 25. Verum vero enim,  
 cœlum inter cœlites collocare, non tantum extra rationem, sed etiam supra omnes  
 sacræ pagine classes positum est. Nunc laternam illorum aperiamus, atque in ea  
 pro lumine fœdissimas tenebras ostendamus: via, inquit, qua ingressi sunt inter-  
 pretes ad pervestigandam materiam transmutatio fuit ab esse ad non esse. Cœ-  
 lum tam alienum à corruptione, ut religio quosdam inesserit, vel lucem interitus  
 obnoxiam existimare: Ex 71. s. 1. ut vero aliquid mutari dicatur, necessarium  
 est, quod idem aliter se habuerit & aliter se modo habeat. Tolet. in 1. Phys. c.  
 7. tex. 70. qu. 12. Fallacia est in enumeratione insufficienti: transmutatio acci-  
 dentaria, quæ motus ratione cœlo tribuitur, etiam materiæ index est: insuper  
 nisi accidentia per se existant sine subjecto, ubi accidentia hujus sunt, ibi etiam i-  
 ipsa præsto erit; imprimis, cum omnium suffragio materia magis sit subjecta ma-  
 terialibus accidentibus, quam forma. Fonsec. 5. Metaph. c. 3. q. 2. s. 1.*

## S E C U N D A.

An cœlestis & sublunaris materia differant specie!

*Platonici cœlestem orbem ex floribus seu delicijs elementorum, maxime ex terra  
 & igni constitui somniabant, Con. 1. de cœl. c. 2. q. 5. a. 1. lidem sunt isti, qui  
 ajunt; flores aliquos interdum Soli, noctu lunæ hymnos canere, Ex. 61. s. 1. de qui-  
 bus (ut omnia) pulchrè Scaliger; quod in cœlo plantaverint Elysia vireta: Exer-  
 cit. 62. s. 1. digni meherculè ut eo cum Mahumetis sectatoribus per ferream cratē,  
 ignitam atque candentem ferantur. Busbeq. legat. Turcic. epist. 1. Nos cum  
 illo ad præfixum scopum respicientes, hæc melim elz mulierculis & ambagiosis  
 ingenijs relinquamus, taliterq; pro unitate pugnemus: Entia nova in natura cen-*





Tum invehenda non sunt, sine manifesta necessitate. Ex. 61. l. 1. ut specie diversos I-  
 gnes non licet constituere, quamvis diaconicus olim ritibus inservierit nuptialibus;  
 Panciroll. de reb. memor. pag. 676 Mucius item in hostili foculo distillan-  
 tem perspectaverit manum suam, Senec. ep. 66. affinis autem Cœli non combu-  
 rat, Ex. 9. quemadmodum nec equus, Pontificis portans Eucharistiam, Chemnit.  
 Par. 2. Ex. Trid. de fest. corp. Christ. obtinet diversam ab eo speciem qui frœ-  
 na ferox spumantia mandit: Virg. 4. Aeneid. expirat igitur specifica differen-  
 tia. Principium essendi hoc, quod sunt, unum est, una ratio, modi diversi: esse  
 scilicet primum subjectum, ex quo corpus naturale fit, & in quod si interit, ul-  
 timum abeat, 1. Phys. 9 t. 82. Anne quoniam nostra, ut à veteribus delicatè  
 cantillatum (ex. 17.) est, semper meditatur maleficium, illa nunquam fato fun-  
 guur, invenere adversarij, non quod pueri (ut Plauti verbum est) in faba?  
 Removendum ante omnia est, appetitum, ut loquuntur, esse de essentia materiae.  
 Nihil prohibet in materiae parte una formam esse cum qualitatibus, quæ habeat  
 contrarium; & in alia parte formam, sine ulla illarum qualitatum: non enim da-  
 ta fuit à natura materia ob transmutationem ad generationem primò & per se;  
 ut ubicunque sit, ibi etiam sit generatio; sed ad subsistendum formæ corporeitatis in  
 substantia, recipiendumve quantitatem & figuram. Ex. citat. Hisce de causis pri-  
 maria Dei consilio materia creata est: secundaria vero, minusq; nobili utilitate  
 propter generationem, Ex. 61. l. 1. etiam si hæc opus viventis inter naturalia natu-  
 ralisimum. Mag. 6. Phys. c. 3. Neq; verum est, materiam esse subjectum contra-  
 riorum, quare & corruptionis: non enim omnium contrariorum necessariò, sed cõ-  
 trarietatis tantum, quæ est secundum ubi: hoc, quod habet materia cœlestis, non est  
 contrarium ad corruptionem, sed perfectionem: quippe motum, unde, quo, Ex. cit.  
 l. 5. Largimur ultrò, cœlicam materiam formæ dignatione primam sibi arrogare  
 commendationem: at largam nimis est consequens, quando specifica diversitas pro-  
 pterea obtruditur: Conimb. 1. de Cœl. c. 2. q. 6. ar. 2. licet materiae ad formas  
 relatæ respectu transcendenti per eas distinguenda sint, tamen quæ diversa sunt,  
 possunt etiã talia per accidens esse: Armand. de bel. vis. Tr. 2. de postpræd.  
 c. 26. hoc facit illud Scaligeri; materia prima, quæ est in hoc, alia est hæc sola ra-  
 tione, quantum ad eius naturam pertinet ab illius materia, Ex. 307. l. 17. Iam a-  
 liud patrocinium querunt: quæcunq; communem inter se habent materiam, ea  
 inter se agere & pati mutuo: Conimb. dict. 1. Cœlus ergo ab igni patitur;  
 quod si violaverit ignis, de Sexta quadam essentia Peripatetici laborent. Nostra-  
 ribus hisce rebus, quæ pendent à materia, commune est, ut agendo patiantur: Ex.  
 109. at nobile opus cœli sine qualitate qualitatem efficit; vel non agit eius forma  
 in hæc inferiora per univocas qualitates cum his inferioribus, Ex. 75. l. 3. Ne igitur,  
 & ut, num quid — labefactum viribus ignis

Corruat, (Ovid. 2. Metam.) exploret omnipotens ille Ethnicorũ  
 Pater: ut ritè jam beatus dicatur, tanto liberatus metu, nulli occupationibus im-  
 plicat...



plisatus. Cic. 1. de nat. Deorum. Hinc ex toto quoque non probatur pactum Sa-  
 turnum inter & Phœbum, ut ille filios omnes neci daret. Nat. Com. Myth. l. 2.  
 c. 2. Sed freti cum Natura, tum doctiorum experimentis sic pergimus: in quoli-  
 bet causarum genere datur una prima, ultra quam excurrere non licet investi-  
 gando, 3. Metaph. c. 6. t. 18. materia tantum abest, ut causa non sit, ut cum alia,  
 quas externas vocant, versuram facere coguntur, ipsa institutum opus ingredia-  
 tur, 1. Phys. c. 7. t. 62. igitur ad caput causa materialis quoque deveniendum, ut  
 sistatur tandem indagatio. Quod si in vado est adversantium iudicium, id quod est,  
 propè nihil: Aug. lib. 12. Conf. c. 7. duos distinctos habebit actus; cum nulla fi-  
 ne actu distinctio, 7. Metaph. c. 13. t. 49. at quo discrimine pura potestas à pote-  
 state disidet? Zabar. de nat. cœl. c. 4. Neque presidium aliquod cause querere  
 possunt inde; materia suo modo actus est; differentiamque habet, per quam mate-  
 ria est, & forma non est: ex. 17. Alius namque actus transcendentalis est ab eo, qui  
 fons est operationis. Ita vero simillimum, omnia quaecumque sub Deo sunt, esse com-  
 posita, etiam materiam primam. ex. 359. l. 12. His si addimus ejus decantatas  
 οὐδὲν ὅτι καὶ nullo nititur nixu contraria sententia, quæ præter enumeratas ab-  
 surditates formæ quoque dignitati derogat; adeo divina, ut cum sit substantia, a-  
 liam totam sui substantiam impleat ita, ut ex utraq; fiat unum. ex. 307. l. 29. Se-  
 neca hic appositè dixerit, opiniones veterum parum esse exactas: nat. q. 16. c. 6.  
 & quasi informes offe carnavum constitutas; quemadmodum alibi Scalig.

## TERTIA.

An forma cœli assitens concedenda?

Hoc simile secundum Demosthenis responsum obtinet homo, veritatem amare,  
 Maxim. serm. 8. quæ cum in ultimis rerum abstrusa delitescat thalamum, venia digna  
 sunt, qui quam avidè captant, non semper capiunt. Sicuti namque natura ali-  
 quando irritam fesso labore dimittit artem: Val. Max. l. 8. c. 14. ita quosdam in  
 ipso vult herere vestibulo, quosdam ad ipsa invitat penetralia. Utinam, & ite-  
 rum ô utinam nobis quoque contingeret adire Corinthum, sic paulò magis idonei  
 dispensatores gravissimi hujus negotij; sic vel Cræsi filio feliciores; qui dicturus  
 οὐκ ἔστιν ἄνευ τοῦ πνεύματος ἁγίου, impetu quodam singulari spiritus vitium  
 correxit. Gell. noct. att. l. 5. c. 9. Ut ut sit; non pompa nos huc provexit apex;  
 sicuti Romanos olim corona militaris: Claud. Parad. in symb. Her. sed rerum  
 series, illudque Aristot: tanta corporis coelestis est nobilitas, ut vel im-  
 perfecta eius cognitio multis parasangis inferiorum excellat scientiam. de  
 part. anim. l. 1. c. 5. Affirmatum questionis vel sensibus, vel est ἡ ἀλήθεια ἢ ἡ  
 fide constat: prius est Philosophi, 12. Metaph. c. 8. t. 42. hoc Thoma;  
 qui nenas hæc prædicat quasi ex sacri Cœdici autoritate, fidei sententiam  
 dicens, immateriales mentes ad motum cœlicum esse delegatas. opusc. 10. art. 3.

Verum



Verum, in istis missis disidijs, quibus agitatur haec opinio, dispiciamus in thea-  
 tro divini Spiritus, num sapiens ille architectus universi, Coeli vertiginem ab An-  
 gelo cieri jusserit. Nec immerito illuc, ceu sacram anchoram, confugimus: quippe  
 nostra haec in studijs literarum peregrinatio sine superna luce miserabilis quadam  
 erratio est, Ex. 359. f. I. τριῶν ἁγίων illud, Sanctus, Sanctus, Sanctus, primum per-  
 sonant: Esa. 6. 3. opera deinde majestatis divinae referunt mortalibus: Luc. 1. &  
 2. castra locant circa fideles: Psal. 34. 4. impios pessundant & Samuel. 24. 15. &  
 nimulas nostras ex corporis ergastulo liberatas excipiunt. Luc. 16. 22. Evangelij  
 vigore, peccatorisq; dolore delectantur id. c. 15. 7. Hominem tandem Deum vede-  
 unt em comitabuntur, Matth. 25. 31. In tot capita praecipue castorum spirituum u-  
 niversa munia dispeSCI confirmant orthodoxi mysteriorum interpretes: ex quibus  
 si quis divinarit intelligentias, non Oedipus erit; sed is, in quem omnes sapientiae  
 thesauros reconditos dixerim. Infelix ergo fuerit Thomas, in condendis & cu-  
 dendis Fidei articulis; nimium menti, naturam proclivi ad aliena, laxans habenas,  
 Ex. 307. f. II. Nec felicior princeps Aboali quondam ex intelligentijs ponens ulti-  
 mam, cui primus opifex, omnium rerum nostratium dispensationem communica-  
 verit, ib. f. 28. Annon, inquit Iobi vox est, sub quo curvantur, qui portant or-  
 bem? c. 9. Ad risum (ut Scaligeri censura liceat uti) boni viri illa pertinet argu-  
 mentatio, Ex. cit. f. 6. Siccine apex omnis creaturae Angelus, sub mole globi caele-  
 stis laborabit, ut curvetur etiam instar bajuli? Vulgatius nihil in horum scholis,  
 quam formas rotatrices nec per se, nec ex accidente moveri. Iam ἄλογον sit,  
 materiata tantum in agendo pati; verum contra πᾶσι δόξον hoc; intelligenti-  
 am Ente materiato inferiorem: equidem, si curvatur, patitur: quod patitur à  
 nobiliore patitur, Ex. 6. f. I. Poterit ne stare cum malo tam diuturno, tamque  
 intolerabili intemeratus Rotatoris amor, quo infinitas moliturus erat circumdu-  
 ctiones? Adeamus cum venia cardines super quibus versatur veritas: interpreta-  
 tionis convenientissima facies est; sub eo incurvaverunt se adjuutores superbiae id  
 est, Tyranni, qui licet humeris suis caelum portare videantur, tandem tamen co-  
 ram Deo humiliari cogentur. Contra sensus ipsa stat anima, quae intellectio-  
 nis hujus, externa scilicet formae, primordium ab illis haud consequitur: nam quomo-  
 do id praestabit circularis motus? cum ars, naturae imitatrix ed dudum assurrexe-  
 rit, ut ideam & motus & conjunctionem representatricem efformaverit, Cic.  
 de resp. arusp. Si non experientia juvamus, testis est Claudianus, taliter Ar-  
 chymedis Syracusani sphaeram tenens, Iupiter in parvo cum cerneret aethera vitro,

Risit & ad superos talia dicta dedit:

Hucine mortali progressa potentia cura,

Iam meus in fragili luditur orbe Labor & c. Qui cupit,

adeat de his Neandri materialia part. 1. Illud in transcurso tantum noterur,

NATURE



*natura, pomerijs humanam industriam haud voluisse terminari, cum animarum  
vehicula sedes ad superum meditata fuit; vid. Pancir. de exeq. mort. cum a-  
pud Arabas in singulos annos puer immolatus sub ara sepeliretur, Polyd. Virg.  
lib. 5. c. 8. Ceterum quae nobis adversa in scenam producuntur, num veram Per-  
sonam agant videamus: Caelum corpus simplex est, nec distingui potest in ipso  
pars movens & mota: quare seipsum movere nequit, Perer. lib. 7. Phys. c. 7.  
Argumenti augmentum si sensuum patrocinio nititur, perinde habet, atq; hoc mor-  
tuo Caesare non videtur intellectus separari, ergo nullus inerat, ex. 25. Si ab in-  
tellectu, totum pensum una eademq; opella absolvemus. Assumitur, quod est  $\bar{v}$   $\bar{a}$   $\bar{p}$   
 $\bar{x}$ . Elementa, ceteris paribus, corpora simplicia sunt; abnegatq; Philosophus, ea  
in res diversarum specierum distingui, 5. Metaph. cap. 3. t. 3. quorum motum  
ab interno non causari principio qui dixerit, dicat etiam animam tantum cor-  
informare, a quo ea officia, quae in ceterum corpus proficiscuntur, per effusas prae-  
stentur potestates, non autem per presentem animae substantiam. Opes Scaligeri  
sunt; forma terra sine instrumento materiam terrae immediate movet, Ex. 307.  
l. 13. lapidis forma absq; ullo vel nixu vel medio lapidis movet materiam, ib. l. 29.  
Quod obiectionem à circulari motu deductam praecidat addamus. Ipsa natura vis  
Dei est, ex. 77. l. 55 quae non plus operae posuit in hac universi coagmentatione,  
quam in abiectissimi ligni confectioe: neq; subtiliorem sese professa est, ubi effe-  
cit, uti suo beneficio lapis Hercules haberet causas in seipsis cohibentes efficienti-  
am attractionis; quam cum materia primae formam indidit aëri ob ascensionem,  
ex. 1. l. 1. Doctè & religiose Scaliger scripsit, infinitam naturam & satù esse ad omnia,  
& vero etiam superesse: ex. 362. quamobrem si vilissimis animantium generibus  
apparavit ad motionem instrumenta, iniquus a deo fuisse arbiter, si eandem ope-  
ram non posuisse: Soli, qui, ceu sponsus de thalamo suo procedens, exultare debebat  
ad currendam viam. Pl. 19. 6. Ergo Ter. Max. Deus creando Arcturum & Orio-  
nâ & Hyadas voluit, ut quamdiu ipsi placeret, sese moverent, Job. 9. 10. Ex infi-  
nitâ & illud infinitae sapientiae pars esto; terminum aquis praefigere, quos ultra  
ustraq; nequeat consistere rectum. Pl. 104. 6. nihilominus vero montes ut ascende-  
rent, & ad abyssos usq; descenderent, Pl. 107. 26. Insuper contrarium nescio quid  
secum importet Stoici delirij; quasi Deus ipse, cum fabricaret caeli machinam ne-  
quiverit ei, quantum satù esset ad motum insinuare; sed angeius coactus sit assistere  
praesens ministerio, tanquam praefectus quidam praetorio; vid. Sen. ep. 59. Annon  
verè digitus Dei scripsit, ipse dixit & facta sunt? Pl. 148. 5. attamen, inquit,  
caeli motus est efficiens & conservans omnium sublunarium: & ex eo pendet uni-  
versi tam gubernatio, quam perfectio: quod divinam arguit mentem. Perer. loc.  
dict. Non capimur Tullianis hisce pigmentis: forent sic intelligente spiritu pra-  
edita omnia: omnia quippe admiratione digna sunt apud nos, nisi frequentia sen-  
tendi miraculi speciem elevaret, Ex. 112. Alias obiecti monstremus infirmitates, si*



caelum non posset ordinis esse autor absq; assistente intelligentia; eadē ratione, si non est quadratus aut circularis, aut trigonus calor caelestis, non poterit quadratorum corporum generator esse, Ex. 23 § 1. Tandem hoc apponunt; omnem nos ē medio tollere viam investigandi spirituales substantias, cum ita collegerint olim sapiētes; ea quae tanta mente sunt, ut vix quispiam ordinem rerum atq; vicissitudinē persequi possit arte ulla, fieri nequeunt, nisi ab aliqua vi intellectrice corporis experite: Conim. l. 2. de Coel. c. 5. q. a. 3. Ponamus eximi cognitione separatarum mentium animum inscitiae rubigine, via patet alia, quae nos eo deducat. Deus in humano corpore hospitans, si cum pace licet uti Senecae verbis ep. 41. sit ex hospite peregrinus, & à corporis sarcina liberatur ex accidente: at qui subsistit extra corpus, ijs etiam, qui caelestis fulmina veritatis non contemplati fuerunt. Quare subsistere absq; corpore cuiuspiam Entis affectus erit primarius: hoc est mens à Deo prima, ides nobilior nostrā; quod illa omnis materia sit expers; haec coniunctione materialis, Ex. 6. § 2. σοιχέτορ est; eo quod ex accidente est, prius semper est, quod per se tale est. Chin. 12. met. c. 7. Verum veniā caret, illa quam arguit, cognoscendi ratio. Primum enim, si iuxta dicitur sacrum non sunt faciendā mala, ut eveniant bona; Rom. 3. 8. falsas utiq; non convenit hypotheses ponere, veritatis ut instituat cognitio. Dein, si praeter illud humani figmentum ingenij nil reliquum, quo separatae mentes arguantur, vel inviti huc concedant, necessarium est, ex sublimiori scientia, revelata scilicet notitiam istam revelandam. Αὐσάτορ etiam est, illius cognitionis magistrum fuisse motum caelestē: ipsa res aliud loquitur. Angelos Iudeorum credidere Rabini: quae notitia communicata peregrinis, scholas quoq; occupavit Platonicas: confusa vero cum fuerit, quid quaso interiectum erat obstaculi, quo minus esset favissa monstri de motore externo; maxime cū blādimentis tam speciosis à certo & aquabili siderum motu invitarentur? Veritati & naturae convenientiora dixerimus sic colligendo; constantia motuum caelestium arguit incorporeum aliquod movens: E. vel ipse Deus, vel Angelus, vel actus quidā substantialis in prima mundi architectura caelo inditus id praestat. Deus ipse non movet, sed motores dat, Ex. 7. moventiumq; autor est, Ex. 68. § 1. Quem, inquit, constituit alium super orbem fabricatum? Job. 34. 13. Hoc non tuetur duplicatam formam: imò corroborat assertionem nostram. Terra per terrae formam terra est. Ex. 307. § 14. neminem tamen super terram Oeconomus ille prudens constituit: sic caelum: Igitur sanctum illud verbum, cum universalem praeseduram respiciat, insidiosè ad motum, transfertur. Omnia quidem portat verbo virtutis suae, Heb. 1. 3. sic tamen, ut cuilibet creaturae proprios non subtrahat motus Aug. Iam ad formam informantis, quam actum substantialem dicebamus, patrocinium nos accingimus. Omni potentiae passivae, quam implantavit natura, quaedam activa responderet, 3. de anim. c. 5. t. 17. materia caeli ad patiendum accipiendumq; motum satis est, Fon. 8. met. c. 49. § 1. E. vacuum daretur non in quantitate sed in specierum principio (quod



(quod magis in natura foret flagitium) si peregrini atque externi quidpiam ad ex-  
 plendam materiae habilitatem assumeretur. Annon, clamitant, hoc extra contro-  
 versiam aleam? Bene, sed ulterius. Est unumquodque gratia sua operationis, 2. d. cœl.  
 3. c. 17. & absolum est rationi, formam aliquam esse otiosam, Zab. de nat. eiusd.  
 3. c. Esset igitur nobilior cœli pars, si debito non fungeretur officio, beatissima; quip-  
 pe beata vita, docente secundum Epicurum Oratore de nat. Deor. 1. in omnium  
 vocatione munera ponitur. Quomodo vero, ut habet Hesiod. 1. Oper. τὰ ἅπαντα  
 ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμῶν & τὰ ἅπαντα νοῦσ' αἰεὶ benignè aspiciat illam securitatem, dis-  
 quirant, qui motores angelicos propugnant. Huius argumenti cum explicare ne-  
 queant exitum, rem oratorio colore obscurare aggressi sunt: licet, inquiunt, forma  
 non concurrat activè ad suum motum, ad alias tamen actiones, per quas in mun-  
 dum celestis structura influit, Conimb. 10. sup. cit. a. 5. Ad quas generationem  
 forsitan, quia sol & homo generant? ast spes effugij sic evertitur: cœlum propter no-  
 stram generationem movetur. Ex. 68. l. 1. generatio & motus hic, quia motus ibi:  
 motus ab externo secundum illos: igitur maioris erit operæ remove suspitionem  
 otij. Nos has formæ prerogativas notamus: posita à formâ ponuntur esse rei, distin-  
 ctio rei, operatio rei; & hoc agens dicere consuevimus, quod movendi vim obtinet,  
 2. d. gener. 9. c. est quod ἀγαθόν, & δὲ τὰ ἅπαντα ἐπίεται 1. Phys. c. 9. quod vero ap-  
 petunt omnia, bonum est, 1. Ethic. otiosum quod est, omnibus invisum est. Alterū.  
 At unum duntaxat natura determinata est; solus homo potest velle & non velle:  
 cursus astrorum invariabilis, quem observant, motu adeo celebrantur, ut qui dixe-  
 rit, illos opposita posse, nil nisi molesta nugamenta deliriorum plenissima vendiderit.  
 Tanto temporis intervallo ne semel quidem egere nauclerum, qui cum eo, quo cu-  
 piat, pergere non possit, eo quo potest, cursum dirigit, Cic. lib. 1. ep. fam. ep. 9.  
 Quapropter ex liberrimo Ente, Angelo, facere Naturæ mancipium, quid est, si non  
 temeritas est? Præterea, quod inter plurima non postremum, Aristotelicum σοιχῆ-  
 ον quiddam Naturæ explicans, hic militat. 2. Phys. 1. 3. quod ne ὡς τὸ πᾶν  
 tantum attingatur, fidelius, in sequentibus retractare iuvat.

## Q V A R T A.

An definitio Naturæ Cœlo competat?

Ex turbido hoc erepti pelago meliora speramus: cum ex nostro principio tot ob-  
 iectionum paratae sint solutiones. Affirmativam nobis commendat veritas: in cœlo  
 datur causa motus & quietis: ideo quoque natura. Plutarchus occurrit: Aristoteleæ  
 definitionis ambitus abstractum haud complectitur corpus: sed caduca saltem;  
 1. de placit. Philosoph. cap. 1. indice ipso in octavo divinae scientia,  
 cap. 4. tex. 9. ubi docet, in ijs tantum ponendam naturam, quæ corrumpuntur.  
 Perpulchra facies argumenti; sed cuius fundamentum in æquivoco sit: vulgo magis  
 usurpatur natura in rebus contradictionis potentiam habentibus; at exquisitè cor-  
 poribus attribuitur sempiternis. Fons. 5. Metaph. 4. q. 2. l. 2. Prius alienum  
 ab autore: siquidem venatèr essentiam naturæ ex discrimine naturalium



Artificialium: in quo naturalia conveniunt omnia. Assumpti membrum alterum  
constat: etenim motum negare propius est insania, nisi quis illos admirari velit,  
qui terram grande animal autumant, Ex. 307. s. 1. solemq; moveri cælis immotis,  
Vt alterum pateat, nostrum non facimus, esse aliquid, quod semper quiescat, polos  
nimirum, Ex. 70. quo namq; modo verus fiet motus super quiete non vera; motusq;  
naturalis super quiete mathematica: ibi. Forsan expedit a res esset, si demonstras-  
sent Disputatores sancti, cælum indifferens esse, tam ad quietem quam ad motum  
internam virtute. Vid. Fons. sed monstrum parturiunt. Coniunctim igitur, tum  
disiunctim illa, motus & quietis, ipse voluit accipi; ita, natura principium est  
motus tantum; aut motus & quietis simul. Interpretationis fundamentum est in  
2. Regi. ψυχῆς, tex. 24. anima est, quo vivimus, sentimus, loco movemur, &  
intelligimus primo. Sensus hic; anima est id, quo viventia aut vegetantur tantum;  
aut & vegetantur & sentiunt. Hoc posito, verius est, motus novos, si qui sunt ex-  
pectandi, vel quietem etiam, violentiam fore corpori quinto; Verborum metaphy-  
sicorum adiuti quoq; suffragio; pertimescendum nobis est, ne stent cælestia corpora,  
1.9. c. 4. t. 17. Si violenta, dicunt, foret tunc non solum contraria quies; verum et-  
iam deterior cæli conditio. Responsionis vicem ipsa sustinet controversia, nam esse  
alterum esse cæli, ab hoc esse, adeo nescimus, ut sola religione nobis persuadeatur,  
mundum cœpisse, finemq; incendio habiturum. Scal. Axioma illud, quicquid mo-  
vetur, ut quiescat, movetur, ne subvehamus ad regiam solis, ut loquitur Ov. 2.  
Metam. Vbi propter quietem motus, ibi terminus; irrequieta siderum agitatio  
nunquam in eodem vestigio manet, Senec. de brev. vit. c. 10. nullus in circu-  
lari motu est finis, qui non idem sit principium. vid. Scal. Ex. 30. & quia caret  
principio & fine ad Archetypi similitudinem quam proximè accedit. Si terra cen-  
trum perpetua motiense aliquo vergeret, conferret sese ad eundem motum ipsa quoq;  
terra, Ex. 76. s. 1. Ne igitur timidus sit, qui nobilissimi corporis formam à sua  
materia, quod ad motum spectat, ita fatigari pertimescat, ut motum tandem de-  
serat, vel abrumpat. Difficultas, inquit, adhuc manet: agens omne movetur fine,  
quo adeptio, cessat, 2. Phyl. 8. quod natura decretum iam violatur. Est tamen quo  
tollatur: cælum quamvis nullam sibi per motum perfectionem acquirat, Sapiens  
natura nihilominus illustra sat subministrat testimonia Fons. s. 6. Finem habet  
non in se, sed extra se, non ut nostratia moventur propter sui conservationem cæli  
partes: nihil sanè acquirunt novi propter se; etenim tantundem à centro distant  
mundi pars omnes cæli, Ex. 68. quare moveri id propter nostram generationem  
putandum est. Huc respexit creationis historicus, quando dixit, corpora cælestia  
condidit Deus in ministerium cunctis gentibus, Deut. 4. v. 19. Nec hoc duntaxat:  
insitum est omnibus eternitatis desiderium, 2. de. anim. cap. 4. eternoq;  
assimilari: at quicquid in Deo est, Deus est, Hilar. de Trinit. hoc est o-  
mnia in actu, etiam quæ nobis videntur in potentia Exer. 307. s. 20. Si qui-  
escerent igitur, non melius, sed deterius appeterent, quo nihil magis inimicum Enti;



cujus præterea summum ornamentum est, secundum causalitatis similitudinem  
divinam participare bonitatem, Conimb. 1 de cœl. c. 2. q. 3. 2 3. Sed quo ma-  
gis assertio nostra pateat, tela quibus motum naturalem petunt, excipiamus,  
Primum est; locus orbi cœlesti naturalis est: E. nullus motus: nam in eo moveri  
non posset: enimvero symbolum ambientis loci cum re contenta non motum, sed  
quietem parit, Ibid. ar. 1. Hoc verum est, quando motus ad quietem dirigitur: in  
promptu etiam instantia est, quæ confirmationem objectionis urat: quicquid qui-  
escit, non infestatur à contrario; quo sublato nil impedit rei eternitatem: ut jam  
à corruptione cuncta, quæ in sede patria immorantur, liberata sint. Alterum;  
motus naturalis tendit ab imperfecto ad perfectum: quæ duo terminos important  
à quo & ad quem; quorum neutrum de motu substantiæ cœlestis asseri potest.  
Sciendum illa dici de motu recto; non circulari. Nondum perventum est ad exitum:  
quod terminis dictis non clauditur, infinitum est: at natura fugit infinitum, 2. de  
gen. anim. c. 1. Responderetur, optime stare cum Natura durationis infinitum. Ho-  
mini divino splendore atque ornatu coruscanti æque cum sanctis myriadibus æ-  
ternitas expectabatur: unde discrimen; hominem primum potuisse nunquam  
mori: nobis, ut Horat. ait l. 1. od. 28. una manet nox

Et calcanda semel via lethi:

Cives æternæ vitæ mori nunquam poterunt. Ne tamen reorudescat jacturæ vul-  
nus, intueamur ea, quæ ante pedes sunt. Innatus calor, quando restaurat humi-  
dum absumentum, appetit conservationem, qui cum sibi similis semper esse exoptet,  
liquido significat, quantum huic faveat sententiæ; vid. Scal. ex. 23. l. 2. Præterea  
spectat infinitatem Dei specierum perpetuatio per novorum successiones singula-  
rium, Ex. 307. l. 20. Et quid aliud materiæ divinitatem arguit, quam quod suâ  
essentiâ perpetua atq; immutabilis? Ex. 61. l. 1. Antyciras ergo navigent, qui no-  
bis ulterius elumbi tam argumento imponunt. Speciosius Durandi: corporis unius  
simplicis, unus est tantum motus simplex, 1. de cœl. 2. t. 9. Ast in cœlo multi mo-  
tus sunt; alius Lunæ conspicitur ab ortu in occasum; alius ab hoc in illum; alius  
item Epicycli: E. non naturalis. Obtruditur ut universalis maior, & recurrit ad  
principium. In natura fundatum; id quod violentum uni, esse naturale alteri,  
ib. c. 8t. 7. 6. videmus autem sagittam sursum jactam ventorum vehementiâ dis-  
pelli in transversum, Ex. 28. l. 1. hi duo motus igitur ab uno naturaliter fluunt  
principio: Quidni enim eadem virtute Fabricator Olympi vim ad motus varias  
imprimere potuit, quo ex non cœlo cœlum facere? Possimus etiam autoritatem  
axiomatis salvare limitando; corporis unius unus motus, specie scilicet, numero  
plures. Ergone specie conveniant astra? non est ex necessarijs argumentum; astra  
unum habent specificum motum; quare conveniunt. Animal si de turri demitta-  
tur, descendit motu recto simplici, Zab. de gen. & int. c. 2. taliter & urna: sic  
terra & aqua communi impetu per brevissimam lineam petunt mundi centrum;



nec tamen importatur in essendo convenientia: quid sentiendum, sequitur. Pars ejusdem est essentia cum toto, Ex. 61. l. 1. cœli pars Saturnus est: E. cum totum ab omni labe sit alienum, salvus sit etiam Saturnus, licet voracitatis nomine infamis; licet faciat malignos, invidos, superbos, Nat. Co. n. Myth. l. 2. c. 2. quamobrem specificam improbamus differentiam. Nulli credo (Frischlini verbis dicimus) quicquam simpliciter affirmanti vel neganti, nisi veterum autoritate scriptorum, & rationibus invictis animum expugnet meum, Popp. Gramm. dial. 1. E. non acclamamus occurrenti Pererio, fore tunc astra corruptibilia. l. 7. c. II. Hebetiores sanè sumus, quam ut argumenti vim assequi valeamus: Illa specie differunt, quacumq; natura & essentia differunt, Zab. l. 2. de qual. elem. c. 6. ipse igitur, cum diversitatem defendit, à se diversus est paucis momentis. Cœlum asserit (& meritò quidem) æternum: qui affectus cum omnibus ex æquo competat, unitatem arguit, non diversitatem. Current sectatores ejus ad æstum marinum; diversaque effecta: currant etiam ad Syri exustiones. Existimamus, hæc non sufficere, ad invehendæ specie distinctas formas, Conimb. 2. de cœl. c. 5. q. 3. ar. 2. nisi voluerimus tot ex conflatum differentiis æthereum corpus, quot intermicantibus est luminibus adornatum, 2. de eod. t. 41. Aristotelis calculus est: cœli stellarumque esse eandem substantiam.

## QUINTA.

An Cœlum in naturali statu relictum sit æternum?

Essentia peculiaris affectus est duratio: quam essendi tractum continuatum acutè vocat Scalig. Ex. 359. l. 7. Adhuc paulisper inter vireta Lycei diversari libet: alumni dicunt; cœlum corpus quintum est, nulli interitui, nulliq; alterationi obnoxium, Zab. de cal. cœl. c. 1. est mundi primum elementum, & æternum, Picc. de rer. def. p. 194. nulla natura cœlestis corruptibilis, Ex. 307. l. 20. Er ~~ωαρόδος~~ supra quasdam attingimus rationes, nunc enucleatius paulò agemus. Cœlum alterationibus caret, Arist. 1. de Cœl. 3. t. 20. quare incorruptibile: nam in se redunt, non alterari & incorruptibile: ex hypothesei vero nostræ corruptio debet fieri in tempore, sive secundum ordinariam Dei potentiam. Ad universi pulchritudinem amplificandam etiam requirebatur, ut quemadmodum in natura datur animata & inanimata sic corruptibilia quædam; alia continuatione existentie summum illud Numen imitarentur, Conimb. l. eod. c. 3. Porro cum omnia quæ hic sunt, meliore patiereq; modo in superioribus existant, immortalitatis prærogativa debebant excellere, Ex. 18. Materie divinitas antea in mediū allata nobis obijcitur: Sed responsio facilis; quæstio composita duntaxat complectitur: materia simplex: nullum simplex resolvitur in sua principia, nullis enim componitur principijs; quando vero compositam diximus, granum salis adbibuimus. Procedi-

1113:





mus : quod ex materia per motum habuit ortum, id suapte natura caducum, Pe-  
 rer l. 15. c. 4. at vero sicut singulis momentis gaudet Summus opifex tot tantisque  
 mutationibus, ita voluit caelum aliquando non fuisse, postea fuisse, id est, crea-  
 vit, Ex. 307. f. 20 quod si creatio constitutio est substantiae ex nihilo, caelum absq[ue]  
 motu moveri cepit, Aug. 12. de civ. Dei c. 25. Rejicimus idcirco astititiam immor-  
 talitatem assertam à Plat. in Tim. apud quem Pater & conditor ait à se creatis  
 D[omi]nis; esse quidem eos natura sua corruptibiles; ejus autem pietate factos sempi-  
 ternos. Illud Herculeum: sapientissimi spiritus nullis calculis extremi temporis ar-  
 ticulos supputare possunt: at non tantum in angelo intellectus accidentia me-  
 lioris nota sunt; Ex. 349. f. 11. verum etiam intellectus nostri vis ad illos compara-  
 ta, caecitas est, ibid. f. 14. Nec verò pugnamus contra infinitam Infiniti potenti-  
 am, quam absolutam transnaturalis vocat scientia: potius constanter asserimus,  
 caelum statuto temporis termino debere requiescere, Piccolh. de Coel. c. 43.  
 καὶ τὸ αὐτὸ ἡμεῖς ἐπινοοῦμεν, August. in Enchirid. c. 7. ceterum ex fati-  
 gatione futurum, ut fatiscat mundus, atque corrumpatur, neque Philosophorum  
 est, qui illum statuunt sempiternum, 8. Phys. c. 8 neque Christianorum qui prae-  
 dicamus absumentum iri incendio, 2. Pet. 3. 7. sed Cardani, qui fatigationem indu-  
 xit in naturam, Ex. 77. f. 4. Coronidis vicem tueatur, parum ad bonae fame thea-  
 trum respexisse Dd. Conimbricos, quando caeli vel mundi potius conservationem  
 definivere continuatam quandam creationem; hoc ruinoso subnixi fulcro, quia  
 creatio & conservatio circa terminum eundem versantur, 8. Phys. 2. q. 1. ar. 4.  
 Et si namque parum subsidij hinc mutuari possit suspicio recentiorum quorundam i-  
 psos tamen & à constantia, & à veritate alienos animadvertimus: nam ad nul-  
 lam creationis speciem, quas enumerant, quadrat conservatio. Posterius quod at-  
 tinet, si creationis opus adhuc continuatur à Deo, cur dicitur in Creationis codi-  
 ce, sex dierum spatio penso absolute, Dominum quicvisse? Subtilitatis edidit spe-  
 cimen magnus Scaliger, quando rerum creatarum conservatiōē existentiae con-  
 tinuationem dixit, Ex 250. quod opus in tantum pendet ab Aeterni providentia,  
 ut ipse quoque mentes immateriales, et si ponuntur ipsi coaeternae; tamen ut à pri-  
 mo pendent, à primi nutu deponi possunt ab ea essentia, in qua sunt ab illo con-  
 stituta, Ex. 307. f. 20. ad quem porro nitamur elevari, ut simus in  
 eo & ille in nobis per omnia secula. Piccolh.  
 de rer. def.

Ornatis-





*Ornatissimus atq; Doctiss.*

BALTHASAR HENCKE-  
LIVS IVTREBOCEN-  
SIS SAXO.

*De cælo disputans*

ἀναγχαμματοζόμενος

HAS AXES ULNIS COELI EN SCRUTATOR  
H A B E B I S.

**T**errarum soboles terrena requirit, & ultra  
Principij haud audet jura levare caput.  
Stirps cœli, & dio depromptum semine semen  
Altius occulto tubere robur agit.  
Firmatum radice sua, pandisque lacertis  
Affinis sequitur culmina celsa poli.  
Proventus stirpem si laudant; quæ tua amice  
Henckeli, astrorum, gloria, mensor, erit?  
Gloria næ, quæ digna polo, digna atque labore:  
Perge ita; non deerit gloria digna polo.

HAS AXES ULNIS COELI EN SCRUTATOR HABEBIS,  
Post fata affinis planta decora poli.

*Contubernali suo F.*

*M. Sigism. Evenius.*



ULB Halle

3

003 792 226



05 A 2442

1017












B.I.G.

Farbkarte #13



THEMATA  
DE  
COELO

que  
D. C. M. A.  
*in inclyta VVittebergensi Aca-*  
*demia*

PRÆSIDE  
M. BALTHASARO MEISNERO  
Dreidens. Facult. Phil. adiunct.  
*ad publicam disputationem proponit*  
BALTHASAR HENCKELIVS  
Jutrebodensis Saxo.  
*29. Octobr: in auditorio minore, horis matutinis.*



WITEBERGÆ,  
Typis M. Georgij Mulleri  
Anno 1608.

